Zweiter Jahres-Bericht

über

das Lyceum der Stadt Celle.

Womit

zu der Prüfung und Redeübung

welche Freitag, den 22., Sonnabend, den 23.

und Donnerstag, den 28. März

im Classenzimmer der Sexta

gehalten werden wird,

alle Beschützer, Gönner und Freunde

des Schulwesens

ehrerbietigst einladet

Dr. L. Ph. Hüpeden,

Director.

Praemittitur:

De usu atque natura Infinitivi Historici apud Latinos commentatio grammatica.

Scripsit

H. L. O. Mueller,

Celle, 1833.

Gedruckt bei Georg Ernst Friedrich Schulze.

[redacted]

Zweiter Jahres-Bericht

über

das Lyceum der Stadt Celle.

Womit

zu der Prüfung und Redeübung

welche Freitag, den 22., Sonnabend, den 23.

und Donnerstag, den 28. März

im Classenzimmer der Sexta

gehalten werden wird,

alle Beschützer, Gönner und Freunde

des Schulwesens

ehrerbietigst einladet

Dr. L. Ph. Hüpeden,

Director.

Praemittitur:

De usu atque natura Infinitivi Historici apud Latinos

commentatio grammatica.

Scripsit

H. L. O. Mueller,

[redacted]

Celle, 1833.

Gedruckt bei Georg Ernst Friedrich Schulze.

Ex quo philosophiae et subtilioris doctrinae lumen omnibus fere artibus ac disciplinis admoveri coepit, in grammatica quoque discussae ac fugatae sunt tenebrae, quibus tam diu involuta jacebat. Erroribus enim quam plurimis, qui jam inveterati erant, detectis et repudiatis, nova methodo hanc artem exercendam esse, VV. DD. certissimis argumentis demonstrarunt et totius grammaticae rationem feliciter emendarunt. Si quis igitur hodie regulae sive constructionis cujusdam syntacticae vim atque naturam velit explanare, huic communem apud optimos cujusque linguae scriptores usum observasse atque in fide auctoritateque eorum acquiescere non sufficiet. Nisi enim ex cogitandi legibus et humanae mentis natura dicendi ac scribendi normam constituerit, nec sentire poterit, quanta in omnibus linguae partibus humanae rationis cum loquendi usu ac consuetudine sit consensio, nec satis firmis ad veteres scriptores intelligendos et interpretandos fundamentis insistet, nec denique cum successu, quid quoque loco recte apteque dicatur, alios docebit. Quod quidem praeceptum quum ab iis, qui in grammatica illustranda operam ponerent, diu fuerit neglectum, factum est, ut et linguae causas et verborum originem minus pervestigarent, et, si quid a vulgari usu discedere neque regulae cuidam, quam statuerant, congruere videretur, hoc exceptionibus, quas vocabant, vel anomaliae generi adnumerandum, quid, quod scriptorem, propria orationis indole et loquutionibus minus frequentibus usum, negligentiae atque inconcinnitatis crimine damnandum esse judicarent. Itaque verborum structuras, proprio suo sensu accipiendas, neque temere nec sine justa

ratione a scriptore electas et haud raro artis, elegantiae et vigoris plenas, quamquam a communi usu abhorrentes, linguae legibus repugnare, nec sine enallages aut ellipsium aut archaismorum ope explicari posse opinabantur. Quae quidem opinio, ingentium errorum mater, quo stultitiae abduxerit grammaticos et quantopere sit rejicienda, ut pro viribus probaremus, hac oblata nobis commentationis scribendae opportunitate ita frui voluimus, ut locum eligeremus, qui est *de usu atque natura Infinitivi historici apud Latinos*, aptissimam rati hanc disputandi materiam tum propter illius constructionis nondum satis perspectae frequentiam, tum propter fructum, quem inde fortasse percepturi sunt discipuli nostri, tum vero etiam propter nostrae de ea re a VV. DD. sententiae diversitatem.

Fuere quidem permulti tam veterum quam recentiorum grammaticorum atque interpretum, qui quum hujus Infinitivi singularem quandam esse rationem intellexissent, paucis verbis peculiare hoc narrandi genus attingerent et insoliti quid inesse contenderent, de explicanda ejus natura parum solliciti. Alii hanc verbi structuram, quum in historicorum, qui dicuntur, usum potissimum abiisse vidissent, *Infinitivi historici* nomine appellare satis habebant, et, ut mos erat illorum temporum, totam rem docto quodam silentio praetereuntes, per enallagen aut ellipsin hanc dicendi formam illustrandam esse contenderunt. (Vide infra.) In libris grammaticis quoque nuper conscriptis satis confusam quidem exemplorum congeriem deprehendes; at vero justam hujus constructionis rationem desiderabis. Fusius et explicatius rem tradere conatus est A. Mohrius *), qui quamquam in universum vim hujus loquutionis sensisse videtur, ut concessit censor ejus **), minus prospere tamen

*) A. Mohr, über den historischen Infinitiv der lateinischen Sprache. Meiningen. 1822.

**) Leipziger Literatur-Zeitung. 1824. Nr. 118.

rem suam egit, quod, male intellecta verbi infiniti natura, ut in qua totius rei cardo versetur, sermone usus est inconcinno et haud raro obscuro, ita ut prae longis impeditisque verborum complexionibus sententiam ejus vix assequi possis. Surrexit contra eum H. Chr. Fr. Prahmius *), qui quamquam justum in singulis exponendis ordinem non servavit, ad veritatem tamen propius accessisse, et, quamquam victoria sua supra modum laetatur, non incerto tamen Marte cum adversario decertasse videtur.

Nos ita disputabimus, ut primum rationem atque usum Infinitivi historici e variis scriptorum locis eruamus, tum singulorum grammaticorum atque interpretum quos ad hanc constructionem interpretandam fecerunt conatus recenseamus et judicemus, deinde nostram qualemcunque de natura hujus Infinitivi sententiam aequo lectorum judicio subjiciamus.

Jam vero satis constat, in enarrandis rebus gestis, quarum vivida imago scribentis animo obversatur, quum, quae et quo modo acta sint, plane et perspicue velit exponere, ut qui legant quasi interesse et sensibus singula percipere sibi videantur, tempora quae vocantur *historica* Praesentis, Imperfecti et Perfecti plerumque usurpari **). Ubi vero insurgit oratio, et res gestae, quas

*) H. Chr. Fr. Prahm, Versuch über das Wesen des historischen Infinitivs in der lateinischen Sprache. Altona 1827.

**) Quae quomodo differant et cui narrandi generi inserviant, quum non sit hujus loci uberius explicare, discrimen leviter attigisse sufficiet. Ceterum lectores ablegamus ad Aug. Grotefendii ausführliche Grammatik d. lat. Spr. Hannov. 1829—30. §. 179. sqq. Cff. praeterea G. Schadeloock von d. Zeiten d. Zeitwörter und ihrem Gebrauch im latein. Geschichtsstyl. Rostock. 1797. et S. Chr. Schirlitz, Materialien zu lat. Stylübungen. Frankf. a. M. 1831. Anhang über den historischen Styl. S. 171 — 175.

qui scribit tamquam spectaculo praesens contemplatur, magnitudine sua sunt insignes et rapiditate quadam celeritateque deinceps aguntur et cumulantur, ita ut animum commotum vi sua veluti abripiant; aut ubi homines vehementiori aliqua cupiditate inflammati, ut odio, furore, iracundia, pugnandi studio, aut acriori aliquo affectu perciti, ut perturbatione, admiratione, laetitia, tristitia, metu, aut in certa quadam conditione vel statu versantes ita nobis depinguntur, ut animi motus ac sensa, quibus causis agantur, quidve cogitent et suscipiant, intueri ac sentire possimus: tum scriptores infinito quodam sensu ducti, ita ut res universe tantummodo enuntiare nec quicquam praeter ipsam actionem et unde proficiscatur significare possint, non *definito* verbi tempore uti solent, sed Infinitivis historicis. Is quidem infiniti verbi usus rerum scriptoribus, et inter hos maxime Sallustio et Tacito, usitatissimus et frequentissimus, *) poetis, praeter comicos, paullo rarior, rarior etiam oratoribus est, non ita tamen, quin et ii apte suo loco sic loquantur.

Simplicissima et maxime perspicua ratio ea est, quum *nullo Subjecto neque addito neque intellecto*, quo referri possint, plures sequuntur Infinitivi, nullo conjunctionum vinculo juncti, ad singulas imaginis, quae depingitur, partes adumbrandas. Infinitivi *activi* et *passivi* generis juxta ponuntur, additis, prout res poscit et locus, *nominativis absolutis*, quorum notio adjunctis Adjectivis vel Participiis accuratius definitur et amplificatur **). Ita apud Sallust. Jug. c. 101. (exempla enim hic consignare necesse est) horrendus campi, in quo pugna cruenta edita est, conspectus depingitur his verbis: „Tum spectaculum „horribile campis patentibus: sequi, fugere; occidi, capi; equi, viri afflicti:

*) Cf. Virg. Aen. II, 685. III, 666. V. 685. VIII, 493. Hor. sat. I, 5, 12.

**) Ejusmodi Nominativi deinceps juncti interdum suapte vi sufficiunt ad rem insigniorem oculis repraesentandam. Cf. Liv. IX, 7. ubi Nominativis adjiciuntur Infinitivi historici, et Vellej. II, 110. ex.

„— postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus; et „inter ea humus infecta sanguine. Similis fere locus in Tacit. Agricola c. „37: „Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum: sequi, vul„nerare, capere atque eosdem oblatis aliis trucidare.— Passim arma et corpora „et laceri artus et cruenta humus: et aliquando etiam victis ira virtusque." (Cf. Sall. Cat. c. 31. festinare sqq. c. 13. vescendi sqq.) Liv. V. 41: „post principum caedem nulli deinde mortalium parci." Causam vero, cur subjecto proprie non opus sit, infra videbimus.

Alter ille usus Infinitivi histor. longe est frequentior, ubi *Subjectum distincte additur* *) et plerumque de uno homine est sermo. Ita vivendi agendique ratio et mores Jugurthae quavis fere libri pagina a Sallustio describuntur: animus formidine et metu mortis exagitatus c. 72: „Neque post id loco„rum Jugurthae dies aut nox ulla quieta fuere: neque loco neque mortali „cuiquam aut tempori satis credere; cives, hostes juxta metuere; circum„spectare omnia et omni metu pavescere, alio atque alio loco saepe contra „decus regium noctu requiescere: interdum somno excitus arreptis armis tu„multum facere. Ita formidine quasi vecordia exagitari." (Cf. cap. 74. neque illi sqq.) mores ejus in iuventute c. 6; agendi modus et cunctatio, qua ludificabat et fatigabat hostem c. 66. et 36; animus fortis, audax et turbulentus in ipsa pugna c. 51. ex. Confer cum his locis industriam et vigilantiam Metelli c. 43. igitur sqq. et 45. praeterea sqq., Catilinae insignem fortitudinem atque audaciam c. 60. interea sqq. Pariter insignis est locus de Catilina juventutis corruptore c. 16 Catil. ex illis sqq., de nefario ejus contra patriam consilio c. 27. in-

*) Quod si *primae personae* Subjectum, ut apud Cic. Verr. II, 77: „Ego instare ut mihi responderet." Virg. Aen. II, 685. III, 666. Terent. Eunuch. III, 1, 21. et Andr. I, 1, 120. invenitur, in hoc certe usus liberior est agnoscendus. Cf. Prahm. l. c. p. 17.

terea sqq. Egregie mores Sullae militum favorem captantis Jug. c. 96. depinguntur. Ita apud Tacitum virtutes Agricolae c. 5. sed noscere sqq. et c. 19. moderatio, prudentia, abstinentia et aequitas celebrantur; — Britannorum post pugnam amissam furor ac desperatio c. 38. et mox sqq.; apud Liv. IV, 13. et 14. Maelii regnum adfectantis consilia; V, 7. laetitia de consilio equitum suis equis stipendia merendi; apud Cic. Verr. IV, 18. insania et furor Verris, quum argentum non potest eripere; apud Caes. de b. g. VII, 81. oppugnatio munitionum romanarum per Gallos; apud Curtium IV, 15. Alexandri ad pugnam cohortatio.

Ubi denique *plura adsunt Subjecta* i. e. ubi variae res gestae per Infinitivos histor. ad plures referuntur, ibi laetior fit imago, vividioribus quasi coloribus illustrata. Tum vero in expositione rerum nullus servatur ordo temporis et loci; nominantur tantummodo ea, quae aliquid faciunt ad animum ita movendum, ut, qualis fuerit rerum status, primo obtutu circumspiciat. Ita Romanorum, qui invidiam atque impetum finitimorum propellunt, egregie describitur virtus Sall. Cat. c. 6. igitur sqq., ita eventus pugnae incertus Jug. c. 51. (cf. Tacit. Hist. IV, 29.) Hic locus propterea est memorabilis, quod ipse scriptor faciem totius negotii variam exstare dicit: „Ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda atque memorabilis: dispersi a suis pars cedere, alii insequi; neque signa, neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare: arma, tela, equi, viri, hostes, cives permixti; nihil consilio neque imperio agi: fors omnia regere.“ — Barbarorum impetus in propugnacula Romanorum Tac. Ann. IV, 50. ex. et 51. in. (cf. Caes. d. b. g. III, 4. VII, 81. ibique Herzogium); atrox proelium Romanorum et incolarum urbis Zamae Sall. Jug. 57. (coll. c. 60. et 76.); vis tempestatum in monte Apennino, quem transeunt Romani Liv. XXI, 58. tum vero sqq. *)

---

*) Cff. praeterea loci, quos collegit Prahm. l. c. p. 11. et 13. et Ramshorn.

His locis inter se collatis, facile potest intelligi, quo plura adsint agendi Subjecta et quo auctior Infinitivorum numerus, eo clariori luce rerum imaginem referri et collustrari. Quo vehementiori et alacriori sensu ipse animus scriptoris affectus est, quo magis lectores quasi in medias res secum rapere studet, eo significantius rem describi et ante oculos nostros ita geri videmus, ut scenam apertissimam et rerum, quae in ea aguntur, initia, processum atque eventum praesenti animo contemplemur.

Sallustius imprimis et Tacitus hoc narrandi genus in deliciis habere videntur; ipsum tamen usum apud diversos scriptores diversum esse vix contendere licet, atque hoc quidem commune et proprium est omnium scriptorum, ut pro diversa rerum specie, et prout unumquodque narrandi genus suo loco judicatur aptissimum, tum Praesenti historico, tum Imperfecto, tum Perfecto s. Aoristo, tum Infinitivis historicis rem suam exponant. Itaque Liv. XXIII, 18. oppugnationem urbis Casilini ab Hannibale initam narrans Praesentibus histor. utitur ad varios hostium conatus describendos: *praemittit — jubet — parat — erumpunt — faciunt*; quae vero narrationem interrumpunt, tamquam singula pugnae momenta, tempore perfecto: *sustinuit, — misit — interclusit — compulit — proposita est*; quae explicandi loco adjiciuntur, tempore imperfecto: *exprobrabat — deerat*; quae vero ipsius pugnae imaginem delineant, Infinitivis historicis: *statuere — excipere — ire* referuntur, ita ut Perfecta: *avertit* et *concessit* narrationem absolvant et pugnae exitum declarent.

Eodem fere modo res procedit apud Sall. Jug. c. 49. Multo magis etiam tempora variat Cic. Verr. IV, 27 - 29.

---

gramm. lat. §. 168, 5. Ex Cicerone quae mihi praesto sunt exempla lectu dignissima hic in usum deponam: Verr. II, 77. et IV, 27; pro Cluent. 21; ad div. X, 30; ad Attic. XI, 9; Academ. II, 4. Orat. I, 56. ex. Offic. III, 14. (Plin. Paneg. 22. epist. IX, 13. et 33.)

Hoc vero ante omnia tenendum est, quotiescunque series quaedam Infinitivorum histor. praegressa sit, subsequi semper solere certum aliquod *tempus finitum* *), aut Perfectum, cum notione rei uno actu perpetratae et prorsus absolutae, aut Imperfectum, ut in quo animus legentis rapido orationis flumine quasi abductus lubenter possit acquiescere ac subsistere, omniaque praeterea, quae ad interpretandum aliquid faciant aut singularis cujusdam rei accuratius definiendae causa adjicienda sint, quae causam, modum, tempus, locum atque id genus alia denotent, in imperfecto tempore collocari **). Itaque apud Sall. Cat. c. 6. cur *pauci* tantum ex amicis auxilio esse potuerint, subjunctis verbis: „nam ceteri metu perculsi a periculis *aberant*" indicatur. Eodem modo Jug. c. 15. imperfectum tempus verbi *nitebantur* totam eorum, qui pecunia corrupti erant, agendi rationem, qua fautores legatorum Jugurthae adjuvabantur, satis declarat; et c. 7. verba in fine adjecta: „quippe cujus neque consilium neque inceptum ullum frustra erat" causam afferunt, cur imperator majori in dies amore Jugurtham amplexus sit. Apud Liv. XXXI, 41. Imperfecta *erant*, *jacebant* et *praedabantur* tempus et rerum conditionem indicant, Perfectum vero *fuit*, qui trepidationis fuerit effectus, pulchre docet. Itaque apud Sall. Jug. c. 36. locum Infinitivi *ludificare* aptissime tenere poterat Imperfectum, quo ratio indicetur, qua Jugurtha contra consulem agere consueverat. Recte igitur verba distinxit Kritzius ad Sall. Cat. c. 16. *Commodare* enim est Infinitivus histor., quem, mutata structura, subsequitur Imperfectum *imperabat*, unde tum *habere* pendet, tum *majora alia*. (Cf. Kritzius ad hunc locum, qui praecipue pro re nostra est et ad Cat. c. 54, 4. et c. 60, 5.

---

*) cui praecedere solent particulae, ut: sic, ita, itaque, quippe, denique, postremo, quum interim, eo modo, quibus rebus, aliae.

**) Hanc ob causam in enuntiationibus relativis s. secundariis Imperfectum Conjunctivi subsequi solet, ut exemplis satis probavit Prahm l. c. p. 11.

Herzogius ad Cat. 6, 4. et Prahmius p. 10.) Ubi *antecedit* Imperfectum, res quaedam ponitur, quae sequentibus Infinitivis explicatur et in partes suas disponitur. Ita res se habet apud Sall. Jug. c. 74., ubi Imperfectum periodum aperit eandemque claudit *).

In jungendis et adnectendis Infinitivis histor. deesse solent *Conjunctiones, Adverbia loci et temporis*. Quemadmodum Nominativi absoluti et tempora finita per ἀσύνδετον juxta poni solent (Liv. III, 28.), ita Infinitivi, quum suum locum per se expleant neque pendeant a verbo quodam finito vel praegresso vel subsequente, enumerantur tantummodo. Etenim earum rerum lineas ducunt, quae intra unum temporis spatium et eodem fere momento sub oculos cadunt, ita ut quid prius, quidve posterius factum sit, dici nequeat. Quodsi, ut est apud Sall. Jug. c. 36., *deinde* et *paullo post* leguntur, hae particulae non tempori notando inserviunt, sed ad sensum totius enuntiationis necessariae sunt et notiones singulorum verborum — *morae causas facere* — *simulare* — *instare* amplificant et explicant. Neque, si abessent, desiderarentur particulae — *praeterea* et *postremo* apud Sall. Jug. 44.

Ablativum causae Infinitivis *passivi* generis interdum adjici, contra Mohrium l. c. p. 7. exemplis collectis probavit Prahm. p. 18. Ut vero animus legentis ad narrationem vel descriptionem, quae Infinitivis histor. inducitur, sedulo et diligenter attendat, postquam eo rerum ventum est, ut a communi narrandi genere ad majus et sublimius transeat scriptor, tum transeundi particulis, alias quoque in re narranda frequentibus, utitur; quales sunt: *igitur* Liv. XXXI, 41. Sall. Cat. 6. *vix* Liv. XXXIII, 32. *hic* Cic. Cluent 21, ad

*) Cff. Sall. Cat. 54, 4. Jug. 51., ubi Plusquamperfecta eodem sensu leguntur quo Imperf., Tacit. Ann. II, 43. Liv. II, 6. I, 58. III, 46. IV, 14.

Attic. XI, **9**; *tum vero* Liv. XXI, **58**; *enim vero* Liv. II, **45**; *tunc* Liv. IV, **14**; *ita* Sall. Jug. **41**; *at contra* Jug. **36**; *interea* Sall. Cat. **60**; *quum* in apodosi Tacit. Ann. IV, **50**. II, **31** et **40**. XI, **34**. XIV, **5**. Hist. III, **3**. Liv. II, **27**. Sall. Jug. **98**; *quum interim* Liv. III, **37**.

Tacitus, modo ceteris scriptoribus insolito, interdum *uno* Infinitivo historico praeposuit temporis vel loci particulam, ac si seriem plurium Infinitivorum contexere voluisset. Subito autem abrumpit et ad tempora finita recedit. Si genuina horum locorum est lectio, ἀνακόλουθον quoddam hic cognoscimus; nam, nisi fallimur, Infinitivi histor. naturae per se ejusmodi usus prorsus est contrarius. Sunt autem hi loci: Ann. III, **26**: „postquam exui aequalitas"; XII, **51** „ubi quati uterus"; XV, **27** „simul consilio terrorem adjicere" XV, **11**: „ne dux quidem obniti adversis." Histor. III, **10** „ubi crudescere seditio" et III, **31**. „ut praeberi ora contumeliis." (Cff. Oberlin et Ruperti ad h. l.)

Quae praeterea de usu Infinit. histor. observanda et praecipienda sunt, haec suo loco reservantur, quosque praeterea grammatici et interpretes adnotaverunt locos a vulgari usu abhorrentes, in his aut plane non reperiri hanc verborum structuram, aut alio sensu accipiendam esse, ex iis, quae de natura Infinitivi infra docebimus, satis fortasse apparebit.

Jam vero Infinitivi histor. usum, quem modo eruere et illustrare studuimus, grammaticae legibus et communi narrationis generi non congruere quum sibi persuasissent interpretes, vario modo vim hujus constructionis detegere et explicare periclitati sunt. Anomaliae quid hic latere vociferantes, aut *Ellipsin verbi coepit* vel *coeperunt*, aut *temporum Enallagen* vel *Antimeriam* hic statuendam esse, aut *Archaismum* per negligentiam et malam consuetudinem conservatum hic restare suspicati sunt; quid, quod alii, in rebus grammaticis parum versati et totam rem ὡς ἐν παρόδῳ tractantes, usumque hujus

Infinitivi insolitum indicasse contenti, cum Schellero *) in tali re, quae vere historica res sit, neminem ultra conjecturam ascendere certive aliquid pronuntiare posse, arbitrati sunt.

Videamus de singulis.

Mirum non est veteres grammaticos, quum Infinitivum non per se absolute strui posse sed semper definito verbo adnecti, intellexisse sibi viderentur, in illum errorem incidisse, ut verbum *coepit* supplendum esse dicerent. Etenim communem loquendi usum tamquam imperiosum tyrannum observantes et colentes, magis formam et grammaticam rectionem, quae vocatur, quam propriam significationem et vim verborum indagarunt; quae cuique orationis formae notio subesset, parum scrutantes. Priscianus ille, qui de Infinitivo multis locis disserit, naturam illius sensisse quidem, at non penitus perspexisse videtur; dubius enim haeret, utrum pro Nomine verbi et Substantivo habere, an Adverbiis adnumerare, utrum ad explicandam Infinitivi histor. naturam Enallagen, an Ellipsin in auxilium debeat vocare. Ita enim scriptum reliquit in institutionibus grammat. lib. 18. cap. IV, p. 125. ed. Krehl: „Itaque apud Graecos quidem pro Imperativo ponitur Infinitivus, apud nos autem pro *praeterito imperfecto.* Et apud illos tamen et apud nos hoc fit per „figuram ἐκλείψεως i. e. defectionis. *Gaudere* enim dicunt pro *gaude* et subauditur *jubeo* vel *volo* vel *opto.* — Sic ergo et apud nos cum imperfectum „sit *dicere coepi* pro *dicebam, scribere coepi* pro *scribebam,* per eclipsin verbi *coepit* „solent auctores proferre verba infinita." Atque universa fere veterum grammaticorum turba et recentiorum haud pauci huic sententiae adstipulati sunt. (Cff. Quintilian. ed. Spalding. lib. IX, c. 3. p. 487. Donatus ad Hecyr. sc. 2. Servius ad Virg. Aen. VIII, 498. II, 683.) Quid? Magnus ille G. Joa. Vossius de arte grammat. lib. VII, c. 19. p. 394. Amstel. 1695. in Quintiliani

*) in praeceptis stili bene latini. P. I, p. 337.

verba jurans contra Enallagen ita digladiatur: „Ad ellipsin verbi finiti etiam „pertinent, ubi verbum infinitivum poni ajunt pro imperfecto finito, ut hoc „versu (Aen. V, 685.):

„Tum pius Aeneas humeris *abscindere* vestem“

„ubi *abscindere* per enallagen dixisse censent pro *abscindebat*. Sed nulla hic enallage, „verum ellipsis verbi finiti. Nam *abscindere* ponitur pro *coepit abscindere*.“— Quae ut probet, Prisciani verba supra allata laudat. In eandem sententiam discedunt Sanctii Minerva*), ellipsium quasi thesaurus et gaza, et Ruddimannus**); neque G. Fr. Grotefendius ***) eam plane deseruit. In promptu certe haec erat ἔλλειψις, quod partim satis multi reperiuntur loci, ubi verbum finitum *coepit* Infinitivo additum est, partim vero etiam quod ipsa hujus verbi significatio incerta atque ambigua fluctuare videbatur inter tempus praesens et perfectum. At si accuratius vim hujus verbi inspexeris, veri initii et rei incipiundae significationem inesse te non fugiet, neque ludibrio relictum est, velisne accipere pro praesenti an imperfecto tempore. (Exempla hic afferre, id vero esset γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας.) Ubi nullum igitur facti initii et actionis instantis adest indicium, ibi neque recte ponitur neque suppletur; et quantum afferret orationi et narrationi languorem ejusmodi complementi indigentia! Ex eo enim, quod verbum *coepit* Infinitivo junctum vim suam interdum videtur amisisse et nihil nisi περίφρασις esse Imperfecti, non sequitur, omnibus locis, ubi absit, vere esse intelligendum. Huc accedit, ut jam Sanctius l. c.

---

*) Franc. Sanctii Minerva s. de causis linguae lat. commentarius cum notis Perizonii. lib. IV. cap. V. p. 657.

**) Thom. Ruddimanni instit. grammat. latin. cur. God. Stallbaum. Lips. 1823. tom. II. p. 8. not. 18. et p. 226 not. 5.

***) G. Fr. Grotefend's latein. Grammat. Frankf. a. M. 1823. §. 245. 248. Anm. 1. §. 274. Anm.

p. 658 bene docuit exemplisque firmavit, quod haud pauci reperiuntur loci, ubi verbum *coepit* commode adjici aut intelligi nequeat. Hinc se credidisse dicit, id quod probavit Ruddimannus, frequentatam primo fuisse hanc ellipsin atque ita Infinitivum pro Imperfecto Indicativi in narrando adhiberi coeptum et adhibitum deinde etiam, ubi τὸ coepit intelligi non possit, atque adeo directe tunc pro Imperfecto illo, nulla Ellipseos alicujus habita ratione. Eadem de causa promiscue modo Infinitivum, modo Imperfectum in eadem periodo occurrere, ut Sall. Cat. 48 et c. 60. (vide supra.) *).

Schellerus l. c. causam hujus ellipseos, quam commendat, negligentiae et festinationi dicentis ac postea scribentis imputat atque ipsos recentiores Romanos servasse hanc ellipseos necessitatem dicit — „ob variationem, ergo ob suavitatem.“

Haec jam satis probant, quo stultitiae et perversitatis ellipsium fautores, quorum numerus in dies minuitur, abduxerit illa opinio, et satis inde, opinor, efficitur, quam inepte illud *coepit* vel *coeperunt* intelligatur, ut quod non modo faciat nullum magnitudinis illius, cujus sensu scribentis animus abreptus esse cogitandus est, indicium, sed etiam orationi magnum afferat languorem **).

Altera illa sententia de statuenda *Enallage* s. *Antimeria* suos quoque nacta

*) Mohrius l. c. p. 13. male intellexisse videtur locum Sall. Cat. 25, ubi Infinitivi — *psallere, saltare* — pendent a praecedente verbo *docta*, ut egregie exposuit Kritz. ad h. l.; hinc de supplendo aliquo verbo cogitari non potest. Alter vero locus Tacit. Agric. 34 nihil difficultatis habet, si pro *contra ruere* acceperis lectionem jam satis stabilitam *robore*, quae vox significanter opponitur verbis: *ipso agminis sono*. (Cf. Ruperti ad h. l.)

**) Cff. Ruddim. instit. ed. Stallb. tom. II. p. 227. et Moebius ad Caes. d. b. g. I, 16.

est patronos et amicos. Pro *Praesenti historico* enim vel *Imperfecto* Infinitivum accipi volunt. Perfecti vero vices gerere non potest *), quoniam hoc tempus, ut Graecorum Aoristus, res ante nostram memoriam gestas non describit et depingit, sed tantum exponit et singulas res enarrat, addita sola significatione temporis absoluti et praeteriti. Grammatici Infinitivo, inter Modorum numerum recepto, tempora aeque ut ceteris Modis assignaverunt; hinc de Infinitivo Praesentis et Imperf., Perf. et Plusqpf., Fut. et Fut. exacti praecepta dabant. Quum igitur prima Infinitivi forma utrique tempori et praesenti et imperfecto attributa esset et plerumque sine tempore finito non legeretur: ubi tempus finitum abesset, intelligi non posse putabant, nisi ope Enallages notionem finitam, tempus et modum accepisset. Ita rem interpretatus est Cortius ad Sall. Cat. 6., qui ibi *bello tentare* pro *tentabant* scriptum esse autumat per frequentissimam historicis Enallagen, qui quasi festinantes verbum infinitum arripiant loco pronuntiativi. Qua quidem festinantia quid sibi voluerit, equidem profecto non assequor. Quae enim attulit exempla, in illius partem nihil faciunt.

Ipsum verbi *infiniti* nomen documento esse poterat grammaticis, temporis *finiti* vim prorsus non convenire Infinitivo, qui nec personis, nec numero, nec temporibus definiatur, sed ἀπαρέμφατος sit. Itaque Infinitivi Praesentis nomen in Infinitivi *rei infectae* nomen mutandum est. Etenim Infinitivus solam verbi actionem indicat **) eamque substantivi nomine effert, ita ut diversis

*) Heindorf. ad Hor. sat. I, 5, 12.

**) Cff. Kruegeri liber ille praeclarus: Untersuch. aus d. Gebiete der latein. Sprachlehre. 2s Heft. S. 24. Zumpt's latein. Grammat. 6te Ausg. §. 588. Anm. 1. G. Fr. Grotefend's lat. Gr. §. 160. Anm. 8.

Infinitivi formis ratio actionis et modus rei, quam continet verbum, non vero tempus actionis diserte distinguatur. Tum demum, ubi tempus accesserit finitum, infiniti verbi actio in certum quoddam temporis punctum incidit. Quodsi non adest tempus aliquod finitum, actio verbi per se subsistit, sua notione valens et eam tantum universe enuntians. Haec igitur est spectanda sine ullo temporis respectu. Quod si non inest, nequaquam potest suffici in locum temporis cujusquam finiti. Infinitivi naturae magis consentanea, quamvis nondum satis accurata, Ramshornii *) est sententia, qui hunc Infinitivum pro Indicativo usurpatum, eandemque rationem intercedere dicit inter Infinitivum histor. et praesens histor., quae sit apud communem loquendi usum inter Imperfectum et Perfectum. Uberius explicare sententiam sui negotii esse non putavit.

Nulla in lingua latina exstant vestigia, tam libidinosum fuisse usus loquendi imperium, ut verbi cujusquam structura contra nativum sensum et primariam significationem immutata in malum morem abierit. Cujus tutela etiamsi a singulis fuisset suscepta, non tamen ipsos optimos et cultissimos scriptores habuisset asseclas et tutores. Adeo enim paupertate loquutionum non laborabat sermo latinus, ut non invenissent scriptores, quo quisque narrandi genere vellet uti, neque ulla alia invenitur dicendi forma, quae cum Enallage illa corrupta eandem haberet analogiam. Et quid tandem illis locis fiet, ubi Perfecta, Praesentia, Imperfecta et Infinitivi histor. ita se invicem excipiunt, ut scriptorem non sine studio ejusmodi narrandi rationem quaesivisse luce clarius fiat?

At vero majorem veritatis speciem ea sententia prae se ferre videtur,

*) Ramshorn's latein. Grammat. Leipzig 1824. §. 168. 5. Novam hujus libri editionem inspicere mihi non licuit.

qua Infinitivi histor. natura *ex Archaismo* repetenda est, qui in carminibus primum et historiis, utpote antiquissimo scripturae genere, postea vero in narrationibus omnis generis per consuetudinis abusum jus civitatis in lingua sortitus sit *). Fuisse enim omnino tempus, ubi praeter infinitum modum de verbis nihil fuerit in usu, ut adeo nomen suum ipsa re tuitus sit, quod indicet, non significari certam aliquam personam aut tempus certum. Ab initio linguas non fuisse verbosas, sed inopes valde et compendiarias, hominesque satis habuisse animi sensa utcunque explicare. Infantem, quum verba tentet et loqui incipiat, in grammatica sua non agnoscere nisi *Infinitivum*; hunc illi instar omnium esse, quae nos in verborum flexionibus observare solemus. Hoc itaque quod enallagen aut ellipsin vocent grammatici, potius Archaismum esse, et has reliquias consuetudinis antiquissimae, quae in linguis ab initio obtinuerit, in plerisque, orientalibus imprimis, adhuc servari, ibique haec priscae linguarum paupertatis vestigia admodum exstare frequenter.

His subscribere videntur Mohrius l. c. p. 20. et censor ejus in ephemeridibus Lipsiensibus, qui haec addit: „Die Bezeichnung nun der bloßen Handlung „in der ursprünglichen Einfalt und Unform (?) wird auch den spätern an Formen über„reichen Erzählern genügen und als Alterthum theuer seyn, wenn sie nichts als Mo„mente, neben einander stehende Ereignisse, ohne genaue Bestimmung hinstellen wollen." — Mohrius adeo verisimile esse judicat, hunc Infinitivi usum ab Hebraeis esse in linguam latinam receptum **), praesertim quum aliunde quoque satis constet, ex orientalium linguarum et forma et materia haud pauca, quae in sermone latino reperiantur, esse deprompta et transducta ***). Meliora his argutiis nostra vidit aetas.

*) Cf. Schelleri praecepta. I, 336. et Heineccii fund. stili I, 2, 57.

**) Cf. Gesenius, hebräisch-deutsches Wörterbuch. Leipz. 1810. Vorrede S. XX.

***) Cf. ejusdem liber: das Wissenswürdigste aus der Wortbildung der lateinischen Sprache. Meiningen. 1820. S. 26.

Non sum nescius, praecipue apud Homerum infinitum verbum Imperativi aliorumque Modorum vices interdum explere *), ibique pariter Ellipsin verbi δεῖ, μέμνησο cet. non esse admittendam (exempla non opus est afferri in re apud omnes, opinor, nota); verumtamen plane alia ibi Infinitivi ratio est, qui tempori praesenti accommodatus, verbi finiti, quod rebus narrandis inservit, rarissime locum teneat neque de rebus praeteritis unquam adhibeatur. Subjectum, quod illi Infinitivo subest, Nominativo casu finitur, ubi secunda Imperativi persona nominatur, Accusativo autem, ubi de aliis rebus, quae narrantur, sermo est **). Haec igitur Infinitivi historici usui ac naturae haudquaquam respondere, sermonisque infantiam, qualem in usu Infinitivi pro Imperativo apud Homerum inveniunt, nullo modo comparari posse, satis liquet.

Infinitivus vero ille, qui semiticis aliisque orientalibus linguis frequentissimus est, cum nostro Infin. nihil habet commune nisi nomen, cujus sono deceptus est Mohrius. Etiamsi enim nuda Infinitivi forma litteras radicales continet, quibus suffixa deinde et affixa adnectuntur, non tamen ille Infin. *absolutus*, qui vocatur, per se solus est cogitandus; pendet enim fere semper a verbo finito, paullo ante praegresso, cui alias ad formandas loquutiones solet jungi. Infinitivus ille *nomen* est *actionis*, neque unius temporis sed futuri

*) „nam illa necesse est prima linguarum rudimenta fuisse, quae notionem ali-„quam simpliciter atque omni destitutam accuratiore definitione exprimerent, „quod quidem est in Infinitivo. Eoque pueri quum loqui incipiunt, ut par est, „primo utuntur. Personae enim accessio cujuscumque jam majorem quandam „cogitandi subtilitatem requirit" — quae verba sunt God. Hermanni de emend. rat. gr. gr. p. 177.

**) Cff. Buttmann griech. Gramm. 13te Ausg. §. 142. Anm. 5. Nitzsch. ad Homer. Od. I, 874. Aug. Matthiae ausführl. griech. Gramm. §. 546. Scheller. l. c. I, 337. et Prahm. l. c. p. 21.

etiam et Imperativi vim locumque occupat. Si qua alia lingua, hebraica certe Temporum et Modorum, quibus verbum finitur, penuria et paupertate laborat *). Verbi quidem forma antiquissima esse ex orationis partibus videtur; non tamen inde recte concludunt, primariam ejus formam Infinitivo contineri, quae meliori jure apud Hebraeos Perfecto, apud Latinos Praesenti vindicatur **). Ex infantia igitur linguae aut antiquissima Infinitivi origine atque primario usu aliarumque linguarum analogia nulla satis firma nec stabilita causa peti potest, cur scriptores latinos has antiquitatis reliquias anxie et tenaciter retinuisse et in usum suum convertisse credendum sit. Quid, quaeso, in causa esse poterat, cur scriptores et ii quidem puri ac tersi, quum singula verbi tempora suis personis ac numeris jam essent distincta, ejusmodi Archaismum imitarentur? Infinitivis enim historicis tantopere delectari Sallustium et Tacitum, brevitatis studiosissimos, insolentia saepe et haud usitata captantes, quique antiquitatis colorem quam maxime quaesiverint, ut verum esse concedatur, ad rem tamen nihil probat.

Quibus expositis si probasse nobis contigit, neque per Ellipsin, neque per Enallagen, neque per Archaismum satis explanari posse veram hujus Infinitivi naturam, jam nostram qualemcunque sententiam subjungimus, quam *ex sola Infinitivi natura ac primaria vi* deducendam esse nobis persuasimus.

Verbum infinitum vel, ut vulgo dicitur, modus Infinitivus ***) eo differt

---

*) Plura docebunt Gesenius Lehrgebäude d. hebräischen Sprache. Leipz. 1817. §. 209, 3; et Ewald kritische Grammat. d. hebr. Spr. Leipz. 1827. §. 293.

**) Cfr. J. S. Vater's Lehrbuch der allgem. Grammatik S. 176. not. 3. et Aug. Grotefend's lat. Grammat. Th. 1. S. 183. §. 201.

***) qui factum sit, ut Modis adnumeraretur Infinitivus, quum proprie inter particulas in iisque inter Adverbia numerandus sit, vide apud Hermann. de emend. rat. gr. gr. p. 174. et 205.

C

a modo finito, ut *nihil nisi nudam verbi cujusque notionem contineat.* Verbo quidem finito et personarum notatio et numerus et modi proprii sunt, quibus rebus cunctis Infinitivus, ex parte Participium caret. Hinc Graecis ἀπαρέμφατος dictus a Prisciano *) ita describitur: „Infinitivus est, qui et personis et nu-„meris deficit, unde et nomen accepit infiniti, quod nec personas nec numeros „definit" — accuratius etiam in Sanctii Minerva p. 104: „Infinitum verbum „est, quod certam et definitam personam, certum numerum et certum tempus „non habet." Forma igitur est *absoluta*, quae actionem verbi simpliciter considerandam esse indicat. Quum vero sit pars verbi, vim et rectionem ejus perpetuo retinet eoque differt a ceteris Adverbiis. Notio autem verbi cujusque per se considerata *generis neutralis* naturam ideoque *Substantiae* formam induit. Est igitur Infinitivus quasi quoddam *Nomen verbi* vel actionis illius, quae verbo inest. Infinitivo, utpote Nomini, adjectivum potest attribui; cujus usus exempla congessit Zumpt. p. 434 et Ruddimann. II, 228. Recte igitur Priscianus ita praecipit **): „Nota autem, quod vim nominis rei „ipsius habet verbum infinitum. Unde quidam nomen verbi hoc esse dice-„bant" — et alio loco ***): „Infinita autem (verba) nominata sunt, ut ab eo quod ca-„rent significatione definita tam personarum quam numerorum, sicut neutra „quoque nomina appellamus ab eo, quod carent utroque genere." — In his quoque suffragamur Prisciano ****) dicenti: „Significat autem infinitum ipsam „rem, quam continet verbum" repugnamus, quum addit: „*Currere* enim est „*cursus* et *legere* — *lectio*; quum enim dico: *bonum est legere*, nihil aliud „significo, nisi: *bona est lectio.*" Non enim prorsus adaequatur Substantivis illis verbalibus infinitum verbum. His enim rei individuae cujusdam status solaque notio in mente reposita adumbratur. Infinitum autem verbum hanc vim verbi retinet, ut praedicatum, quod inest verbo, tribuere atque adjungere possit; significatio

*) tom. II, p. 408.

) tom. I, p. 392. *) p. 401. ****) tom. II. p. 123.

igitur remanet activa, vis quaedam agendi vitalis, motus effectivus. Substantiae autem notio quum subsit verbo infinito, aut Subjecti aut Objecti loco potest haberi. Accusativus casus est objectivus, Nominativo autem ipsa rei notio, nuda alicujus rei substantia ponitur, de qua quid praedicetur. Qui reliqui sunt casus, quum nullus, ut apud Graecos, articuli sit usus, Gerundio et Supino tamquam substantivis verbalibus exprimuntur. Actionem verbi tamquam attributum si cogitaveris, Participium exoritur genere, numero et flexione Substantivo suo adjungendum.

Verbi igitur, quod flexione sua et terminatione finitum est, haec est vis, ut subjecto cuidam praedicatum aliquod assignet et tribuat. Actus vero praedicandi, quum sit definitus, arctissimos habet fines. Nulla inest status durantis et continui significatio; indicatur tantummodo aliquid cummaxime esse, fuisse et futurum esse. Tempora et Modi igitur ubi absolute eliguntur, nullis additis temporibus relativis, rem aliquam tamquam veram animoque praesentem proponunt et hoc ipso momento cogitandam esse edicunt. „In„finitivi contra *) *perpetuum constantemque* indicant *statum* ejus, qui in aliqua con„ditione fuit, est, erit.“ Quodsi infinitum verbum non est a tempore finito aptum, status permanens et perdurans cogitatur. Quot igitur Infinitivi rei infectae deinceps sequuntur, totidem sunt diversa agendi spatia; non singula nominantur facta sed actiones describuntur; haecque videtur fuisse causa, cur Infinitivis activi generis frequentius usi sint scriptores.

Jam vero quum in delineanda rerum imagine aut in depingendis animi motibus et cupiditatibus ipsa agendi ratio potissimum respiciatur, cur soli interdum adsint Infinitivi, quippe quorum actiones per se notatu dignissimae sint, facile intelligitur. Suam igitur cogitationem continet ejusmodi Infinitivus

*) Hermann. l. c. p. 227.

et enuntiationem primariam a nullo verbo finito aptam per se efficit. Uniuscujusque tamen actionis auctor requiritur, ut, de quo praedicentur singula, cognitum habeamus. Casus igitur Nominativus ad Infinitivum propterea accedit, quod, ut in Infinitivo sola per se valet actio, ita hoc casu *nuda rei alicujus substantia, omnis relationis expers, inducitur.* Sufficit igitur, ut, quid agatur, et ad quem actio referatur, possimus intelligere. Neque in hac jungendi ratione anomalia deprehenditur. Praedicandi natura Infinitivo relicta est, qui alium casum objectivum non poterat adsciscere, quum ipse notionem quandam objectivam prae se ferret. Quodsi ad Infinitivum Accusativus casus accesserit, verbum adest sensuum, animi, studii vel desiderii, unde pendeant et casus ille et Infinitivus, ita ut constructio Acc. c. Infin. semper primariam enuntiationem efficiat, quae ab alio verbo finito apta est. „Ubi enim, ut „verbis utar Gernhardi *), conditionis alicujus cogitatio vel declaratio signi„ficanda est, conditionis vocabulum per Infinitivum, ejus autem rei nomen, „cujus est conditio, per Accusativum indicatur." — At vero Infinitivi historici, cui *nominativus absolutus* additur, plane contraria est ratio. Etenim animus scriptoris ubi rerum praeteritarum speciem denuo in animum induxit, in media rerum turba ita movetur et afficitur, ut ea tantum, quae aguntur, et eum, qui agit, attendere et cognoscere possit. Quae in oculos incurrunt et prae ceteris magnitudine sua et gravitate sensus alliciunt, haec praecipue curat, reliquas res, quae actionem primariam quasi circumsistunt, qualia sunt temporis et loci, causae et effectus momenta, prorsus negligens. Ita sensisse videtur Stallbaum. ad Ruddim. instit. II, p. 227., ubi de infinito rei sensu loquitur, quo scriptorem commoveri et quasi abripi dicit, quemque definito verbi tempore declarare non possit. Quid magis igitur consentaneum esse sen-

*) A. G. Gernhard. commentatio grammatica de natura et usu Accus. c. Infinit. Vimariae. 1821. Cff. praeterea Ruddimann. tom. II, p. 236. et 223. et Krueger. l. l. Heft. 1.

tentiae, quam ut ponatur modus rem universe enuntians nec quicquam praeter ipsam actionem significans? — In eandem sententiam discedit Aug. Grotefend. l. c. §. 441: „Die lebhafte Sprache verschmähet alle nicht durchaus nothwendige Bestimmungen des Gedankens und läßt diese aus den Umständen errathen.— Non alienum a re nostra judicamus unum ex locis illis, quos supra consignavimus, hic excribere. Locus egregius est apud Sall. Jug. c. 51: „Ceterum „facies totius negotii varia, incerta, foeda atque miserabilis: dispersi a suis „pars cedere, alii insequi; neque signa neque ordines observare; ubi quem„que periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare; arma, tela, equi, viri, „hostes, cives permixti; nihil consilio neque imperio agi; fors omnia regere. „Itaque multum diei processerat, quum etiamtum eventus in incerto erat."— Quae qui diligenti animo perlegerit, nisi omni venustatis atque elegantiae sensu orbatus est, tam vehementi animi motu scriptorem concussum esse intelliget, ut certam atque definitam sententiae rationem explicare et in re sua singulatim describenda et depingenda latius divagari et minutissimas imagines particulas recensere non potuerit. Vividissima status turbati est pictura, cujus singulae partes primo obtutu in sensus cadunt. In ipsa acie versari et, quoquo dirigimus aciem oculorum, pugnantes ac fugientes, et quo quisque agendi statu reperiatur, primo adspectu animadvertere nobis videmur. Pugnae vero et fugae rationem non per singula spatia ac momenta scriptor persequitur, sed totam rem delineavit et per σκιαγραφίαν quandam adumbravit.

Quemadmodum qui egregiam quandam rei imaginem contemplantur, quid prae omnibus sit visu jucundum et notatu dignum, quidve formae pulchritudine et artificiosa partium compositione sensus alliciat et in se convertat, specie prima illico reperiunt; ubi vero satis contemplati et admirati sunt, tum demum totius imaginis speciem et ideam in animum suscipiunt: ita rerum illustrium et insolitarum magnitudo, affectuum et cupiditatum vehementia ac vigor rapido orationis flumine legentium animos secum abducit neque

ante quiescere sinit, quam scriptor leniori et tranquilliori animi motu ad res minoris momenti transitum fecerit. Quo uberior igitur narrandi copia, quo major et cumulatior rerum, quae aguntur, et eorum, qui agunt et adsunt, numerus, quo graviori verborum pondere insurgit oratio, quo purius et suavius temperantur dicendi colores: eo alacrior et pulchrior efficitur rerum species, eo vehementius afficiuntur legentium animi, eoque lubentius in imagine contemplanda vultum defigimus.

Eadem de causa Infinitivi histor. usus magis est commendandus ad eas res describendas, quae oculis plerumque et auditu percipiuntur, velut pugna inter hostes, oppugnatio castrorum, perturbatio fugientium, plebis motus ac furor, furibundi rabies et ira, caedes ac rapinae, quam ad affectuum et cupiditatum, animi et ingenii, habitus ac naturae descriptionem, quoniam aliorum mentis statum et animi sensa cognoscere per se res est difficillimi negotii.

Itaque nobis quoque acquiescendum putamus in Mohrii, quocum lis erat, de vi atque natura hujus Infinitivi sententia *), quam brevissimis verbis ita comprehendimus: „Die unverkennbare und nur dem Harthörigen und Gefühllosen „unverständliche Absicht ist die, durch Angabe mehrerer Merkmale eines Gleichzeitigen und „durch die allgemeine Aussage einzelner größerer Aufmerksamkeit würdiger Züge die Phan- „tasie zur selbstthätigen Schöpfung eines Bildes aus der Vergangenheit anzuregen." —

Parum cogitate autem et acute vim hujus constructionis indicavit Schadeloock **): Diese Form des Infinitivs ist da gleichsam natürlich, wo die Ideen so „schnell auf einander folgen, daß man nur zufrieden ist, sie angegeben zu haben, wenn es „auch gleich etwas unvollkommen seyn sollte; am schönsten aber wird er da gebraucht,

*) l. c. p. 28. sqq. **) l. c. p. 102.

„wo Handlungen vorkommen, bei denen der Handelnde aus Unentschlossenheit oder im „Affecte nicht lange verweilt, sondern bald dies, bald das, immer wieder etwas Neues „vornimmt" — neque hoc exemplo addito (Sall. Jug. 72.) potest probari, quoniam aliis et quidem plurimis locis ea inest sententia, quam pro virili parte hucusque demonstrare conati sumus.

Sitne vero hic Infinitivus, quem *historicum* vocarunt, *narratorius* cum G. F. Grotefendio nuncupandus, an cum Prahmio der schildernde und beschreibende, an cum Mohrio der characterisirende, an cum Herzogio ad Caes. d. b. g. VII, 81. der graphische oder skiagraphische, an malis *adumbrativi* nomine appellare, nobis quidem videtur esse perinde, dummodo ejus usum atque naturam recte cognovisse contigerit.